

AEQVATORIVM  
ÆQVATORII SATVRNI IN  
plano figuratio.

**X** centro D ,interuallo autem A B ,describantur quatuor circumferentiae secundum doctrinam constructionis æquatorij octauæ Sphæræ, quæ ut prius in trecentas ac sexaginta partes diuidantur. Assignatis autem in secundo spacio singularis diuisionibus debitiss numerorum characteribus, in extremo horū nomina duodecim signorum à dextra lœuam uersus inscribantur, incipiendo ab Ariete. Semidiameter uero à D centro, usq; ad orbem signorum diuidatur in nonaginta sex partes æquales, quod fiet ubi eæ primò bipertiantur, harum rursus quælibet per medium diuidatur, quod ubi quintò factum fuerit, singulæ harū in tres æquales partes secentur. Iam à puncto D numerabuntur sex partes & quinquaginta minuta unius nonagesimæ sextæ, sitq; finis numerationis nota K centrum circulæ quantis, linea quoq; K D ubi per mediū in puncto C secta fuerit, c nota centrum eccentrici Saturnij ostendet. Ex hoc numerabuntur sexaginta partes, quarum fiuis sit nota A apogium deferentis, linea autem C A semidiameter circuli eccentrici. Deinde ex A puncto computabuntur sex partes & triginta minuta, punctus autem huius computationis sit E litera, quæ, quam cum A lineam concludet, semidiametrum epicycli Saturnij indicabit. Hoc demum absoluto opere, ea lege orbes huius instrumenti depingentur. In alio quoquis plano ad quantitatem semidiametri, quæ est à puncto D usq; ad interiorem circumferentiam zodiaci, describatur ex D centro circumferentia, & ab ea uersus D centrum instrumenti signabitur punctū F ad libitum ab eo distans, quatuor nempe aut quinq; quasi graduum semidiametri, positoq; circino in c centro eccentrici, describatur circumferentia ad quantitatem E F lineæ. Deinceps in alia tabula depingatur (circino non compresso) eiusdem quantitatis ex c centro ambitus, & ad quantitatem A c semidiametri eccentrici, sub hoc rursus aliis, eductaq; per c centrū recta, segetur interior in A puncto centro epicycli Saturnij. Numeretur postea à puncto C in partē oppositam semidiametro c A quantitas lineæ c D, impingendo eiusdem oppositæ notam D centrū mundi. Postremo in tertia tabula describatur ex A centro ad quantitatē lineæ A E circumferētia epicycli Saturni, quæ erit epicyclus ueræ circulationis. Extra hanc autē designetur circumferentia priore tantū maior, quantum quantitas rectæ inter A punctum, & extremam eccentrici admittat, quæ in trecentas & sexaginta partes diuidatur. Et sub ea describatur alia tantum à priore remota, ut inter ipsas describi possint trecentæ & sexaginta partes. Infra hanc rursus alia tantum à secunda distans, ut inter eas commode possint depingi characteres numerorum graduum per quinarium aut denarium,

prout